

centum et quinquaginta Patres ad illam con-
venerunt, et sub ejus obedientia, ac præsi-
dentibus ejus Legatis, processit, ac denique
ab eodem, et a Leone III confirmata est, ut
ex Photio, Psello, et Platina constat, et ex
Ivone, 4 part. sui decreti, c. 147.

12. Ad illum vero Canonem sextæ Synodi,
qui inter Trulianos ponitur, quidquid de illo-
rum Canonum auctoritate sit, respondetur
male citari, quia non prohibet Sanctorum
imagines, sed picturas (hæc enim sunt verba
Canonis), *quæ oculos præstringunt, et men-
tem corrumpunt, et ad turpium voluptatum
movent incendia*. Quo modo Concilium etiam
Tridentin., sess. 23, sancte monuit, in sacro
imaginum usu omnem superstitionem, om-
nemque lasciviam esse vitandam, ita ut pro-
caci venustate imagines non pingantur, ne-
que ornentur.

13. Difficilius explicatur decretum Concilii
Elibertini, quod quia provinciale fuit, et pau-
corum Episcoporum, Cano, lib. 5 de Locis,
c. 4, non dubitavit concedere, illud errasse.
Alii autem respondent, illud Concilium solum
prohibuisse proprias imagines Dei, Alii di-
cunt prohibuisse ne imagines ritu gentileo
adorentur et depingantur. Sed hæc omnia
sine fundamento dicuntur; verba enim illius
Canonis, quæ in 1 tom. Concil., et de Conse-
crat., dist. 4, cap. Placuit, et in decreto Ivon.,
3 part., cap. 40, habentur, hæc sunt: *Placuit
in Ecclesiis picturas esse non debere, ne quod
colitur et adoratur, in parietibus depingatur*.
Ex quibus verbis non obscure colligitur, ibi
non prohiberi imagines simpliciter, sed ne
in parietibus Ecclesiarum depingerentur.
Quæ lex potuit eo tempore expedire; fuit
enim illud Concilium circa tempora Concilii
Nicæni, quando idololatria adhuc vigeat,
unde facile accidere poterat ut imagines Sanc-
torum in parietibus depictæ ab infidelibus ir-
reverenter tractarentur. Ita respondet Ala-
nus, dialog. 5, c. 16; Sander., lib. 2, c. 4;
Ayala, lib. de Traditionib., 3 par., c. de An-
tiquit. imagin., qui aliam rationem illius de-
creti subjungit, scilicet, quia imagines in pa-
rietibus depictæ facile deformantur; quia
vero hoc incommodum diligentia evitari po-
test, et antiqua illa necessitas jam cessavit,
ideo decretum illud usu abrogatum est, et
in VII Synod. hujusmodi imagines parietibus
depictæ admittuntur.

14. Ad tertium, de illo Epiphaniï testimonio
varia a Doctoribus dicta sunt. Castro, lib. 8
contra hæres., verbo Imago, quamvis Epi-

phanium ab hæresi excuset, quod non perti-
nacia animi, nec contra Ecclesiæ definitio-
nem, quæ tunc esset, ita fuerit opinatus, con-
cedit tamen eum in illo errore fuisse versa-
tum. Non est tamen satis considerate locutus.
Waldens., tom. 3 de Sacramentalib., c. 157,
non minus incaute dicit Epiph. motum fuisse
zelo, non secundum scientiam; Damasc. ve-
ro, orat. 1 de Imag., quem Jonas Aurelian.,
lib. 1, imitatur, primum dicit, etiam si Epi-
phanius in eam sententiam incidisset, non
esse audiendum contra cæterorum Patrum
auctoritatem. Secundo, addit (et hæc est vera
responsio) partem illam extremam illius
epistolæ non esse Epiphaniï, sed ab aliquo
hæretico suppositam, cujus rei varias con-
jecturas congerit Alan. supra, c. 20; tres vero
aut quatuor sunt potissimæ. Prima est, quod
in VII Synod., act. 6, duo testimonia Epiphaniï
afferuntur, quibus abutebantur hæretici, qui
convicti sunt illa falso confinxisse, et Epipa-
nio imposuisse; si autem in hac epistola Epi-
phanii hæc pars eo tempore legeretur, certe
hæretici illam maxime urgerent. Signum est
ergo eam partem non fuisse ab Epiphano
scriptam, sed postea ab hæreticis impositam.
Hanc enim esse hæreticorum consuetudinem
constat ex eadem VII Syn., act. 3, 8, ubi Ma-
charius confessus est se mutasse testimonia
Sanctorum; et Adrianus, in responsione ad
Carolus, ostendit hæreticos corrupisse epis-
tolas Cyrilli ad Successum; et similia videri
possunt in Euseb., lib. 4 Hist., c. 25; Athan.,
epist. ad Serapionem; Nicolao etiam Papa,
epist. ad Leonem. Secundo, ex contextu epis-
tolæ hoc non obscure colligitur, nam pars
illa, in qua hæc fabula continetur, extrema
est totius epistolæ, quæ incipit ab illo § *Præ-
terea audivi quosdam, etc.*, ante quam parti-
cula epistolæ est absoluta et completa, ut pa-
tet ex ultima clausula: *Deus autem pacis det
vobis juxta suam clementiam, ut conteratur
Satanas, etc.* Tertio, Greg., l. 9, ep. 9, repre-
hendens Serenum, dicit nullum antiquorum
Patrum ausum esse imagines confringere,
neque de ullo hoc esse scriptum. Quarto, con-
stat ex Chrys., Basil., Athan., Greg. Nazianz.
et Nys., et aliis Patribus Epiphano æquali-
bus, ea ætate usum imaginum in Ecclesia
Græca, et universo Oriente frequentissimum
fuisse. Qui ergo verissimile est novum et in-
usitatum Epiphano visum esse? aut si hoc
contra Scripturam esse credidit (ut ibi dici-
tur), quomodo cæteros errores atque hære-
ses impugnans, nunquam hunc usum repre-

hendit? Addo tandem in illa epistola non sa-
tis explicari ejus fuerit figura in illo linteo
depicta, nec dicitur fuisse alicujus Sancti;
unde fortasse contingere potuit, ut fuerit ali-
cujus hominis profani, quod notavit Marianus
Victor, in scholiis ad hanc epistolam, quæ
habetur tom. 2 operum D. Hieronymi, epis-
tola 60.

15. Ad quartum jam responsum est, nullum
scandalum creari fidelibus in Catholica Eccle-
sia ex imaginum usu, quia omnes norunt non
ideo proponi ut per se adorentur, ac si in se
aliquid divinum aut viventem spiritum ha-
beant, sed solum in memoriam, et veneratio-
nem Sanctorum quos repræsentant. Augustinus
autem ibi citatus loquitur de simulacris
et idolis gentium, ut ex contextu, et illius in-
tentione facile patet.

SECTIO II.

Utrum liceat uti Dei et Angelorum imaginibus.

1. In questione hac non solum cum hære-
ticis, sed etiam cum nonnullis Catholicis no-
bis disputandum est; non enim desunt, qui
negent expedire usum imaginum spiritua-
lium rerum, præsertim Dei et Trinitatis. Quam
sententiam inter Scholasticos defendit Du-
rand., in 3, dist. 9, q. 2, ad 4, ubi fatuum
esse dicit imagines Trinitatis facere, aut ve-
nerari. Idem Abusens., 4 c. Deuter., q. 5; et
Ayala supra. Cui opinioni videntur Patres in-
terdum non parum favere, quorum dicta sta-
tim exponemus. Fundamentum potissimum
illorum est, quia Deus (et idem est de Ange-
lis) non habet figuram, cum corporeus non sit;
ergo non potest depingi, cum corporali imagine
repræsentari. Unde Isa. 40 dicitur: *Cui simi-
lem fecistis Deum, aut quam imaginem pone-
tis ei?* et infra: *Cui assimilastis me, et adæ-
quastis, dicit Sanctus?* etc. 46: *Cui assimilas-
tis me, et adæquastis, et comparastis me, et
fecistis similem?*

2. Observandum vero est, duobus modis
posse imaginem Dei depingi, vel ad repræ-
sentandum illum, prout in se est, per propriam
ac formalem similitudinem; vel solum ad re-
præsentandum secundum quamdam meta-
phoram aut proportionem, seu sub aliqua
specie, in qua interdum in Scriptura sacra
apparuisse dicitur.

3. *Dei et Angelorum imagines licite et religio-
se in usu habentur.* — Dicendum est ergo pri-
mo, non esse absolute et simpliciter reprehen-
dendum usum imaginum Dei, et Angelorum,

sed potius retineri posse et expedire, si pru-
denter fiat. Hæc est communis Theologorum
sententia, et quidem (quod ad Angelos attinet)
aperte traditur in VII Synod., act. 2 et 5,
quamvis ratio, quæ ibi subjungitur, scilicet,
quia Angeli corporei sunt, non sit probanda,
quia nec verum assumit, neque a tota Synodo
directe approbata, sed solum est recitata ex
quadam epistola Joannis Thessalonicensis;
postea vero Tharadius dixit: *Ostendit autem
Pater quod et Angelos depingere oporteat,
quando circumscribi possunt, et ut homines ap-
paruerunt; sacra Synodus dixit: Etiam Domi-
ne*. Quo verbo, propositionem ipsam approbat,
non utramque rationem; quamvis etiam ne-
cessarium non sit omnes rationes Conciliorum
solidas esse. Et probari præterea potest, quia
(ut supra dicebamus) Cherubim jussu Dei de-
picti sunt in antiquo templo, et in Scriptura
sacra sæpe inducuntur Angeli sub formis re-
rum sensibilium; quas optime explicat Dio-
nys., cap. 13 et 15 de Cœlesti hierarch., et
indicat, suo sæculo usum fuisse in Ecclesia
depingendi Angelos in eas specie, in qua legun-
tur in Scriptura apparuisse. Quod his verbis
clarius dicit Nazian., orat. 23, in principio:
*Angelicus est vestitus candor, et splendor, cum
corporea forma pinguntur, ad designandam na-
turalem eorum puritatem*. Et ex actis Constan-
tini et Sylvestri constat, Angelorum imagines
in Ecclesiis, quas ædificaverunt, posuisse.

4. Ex his vero ad imagines Dei gradum
faciendo, eodem fere modo illarum usus com-
probari potest; non est enim dubium quin in
Ecclesia Catholica permissus sit: nunquam
autem Romana Ecclesia illum generaliter ad-
mitteret, si honestus non esset; quin potius,
VII Synod., act. 5, circa med., Spiritus Sancti
imaginem sub specie columbæ approbat,
quam antiquissimam esse constat ex V Syno-
do, act. 1, in supplicatione clericorum et mo-
nachorum Antiochiæ ad Joan. Patriarch.,
contra Severum, qui præsumperat columnas
aureas et argenteas in formam Spiritus Sancti
super divina lavacra et altaria appensas sibi
appropriare, dicens, non oportere Spiritum
Sanctum in specie columbæ nominare. Refert
etiam Amphilochius, Basilium Magnum Eu-
charistiam in hujusmodi columbis asservare
solum esse. Sexta etiam Synod., can. 82,
approbat imaginem Christi sub figura agni.
Quamquam enim Angelus, Sylv., Armil., et
alii Summistæ, et Bartholomæus Miranda, in
summa Conciliorum, intellexerint, illo canone
hujusmodi imaginem prohiberi, vera tamen

intelligentia illius canonis est, quod potius hanc imaginem admittat, quamvis non in ea tantum specie, sed in propria etiam specie Christum depingi præcipiat. Hic enim sensus et consentaneus est verbis canonis, si attente legatur, et traditus est ab Adriano I, in epist. ad Tharasium, quæ habetur in VII Synod., act. 10, et a Tharasio, in epist. ad Antiochenos et Alexandrinos, in act. 3 ejusdem Synod., et ab eadem Synodo, act. 4, ante med. Et hinc sumitur argumentum a simili, nam est eadem ratio de hac metaphorica imagine Christi, et de imaginibus Dei, quas etiam metaphorice esse oportet. Et ideo Concilium Tridentinum, sess. 25, dixit admonendum esse populum, non ideo depingi imagines Dei, quia corporeus sit, in quibus verbis supponit has imagines esse depingendas. Ratio vero hujus conclusionis ex sequenti constabit.

5. *Imago Dei non potest esse nisi metaphorica.* — Dico ergo secundo, non posse depingi imagines, quæ formaliter ac proprie repræsentent Deum, sed solum metaphorice, et per quamdam analogiam. Prior pars est certa de fide; unde Damasc., lib. 3, cap. 17, hoc sensu dixit extremæ dementiæ esse velle depingere Deum, ut ipsemet explicuit, orat. 1 de Imaginib., referens Dionysium et Greg. Nazianz. Et similia habet Clemens Alexand., lib. 1 Stromat., circa principium, et lib. 6, circa finem. Et in eodem sensu Theodorus, Patriarch. Hierosolymitanus, in epistola Synodali quæ habetur VII Syn., act. 3, dicit: *Invisibilis est divinitas, nec depingi, nec figurari se permittit.* Et fere eodem modo loquitur Gregor. Papa, ep. ad Germanum; et Germanus, ep. 1 ad Joan., et in epist. ad Thom., in eadem Synodo, act. 4. Ac denique idem docere voluit Augustinus, lib. 4 de Civitat., cap. 21, cum ex sententia Varronis dicit, naturali lumine cognosci, Deum sine simulacro esse colendum; per simulacrum enim intelligit imaginem, quæ propriam Dei formam referre existimetur; vel fortasse intelligit idolum, ut infra dicemus. Ratio vero hujus partis manifesta est, quia, cum Deus non habeat figuram corpoream, non potest per corpoream imaginem repræsentari. Quæ ratio æque in Angelis procedit, quamvis non pari certitudine. Certius enim est Deum esse incorporeum quam Angelos, quamvis hoc etiam indubie verum sit. Altera vero pars de imagine metaphorica, ex præcedenti conclusione constat; nam si imago Dei possibilis et licita est, et non propria, ergo metaphorica. Præterea,

metaphorica imago Christi hominis depingi potest; cur non etiam Dei? Et confirmatur, quia sacra Scriptura sæpe loquitur de Deo per metaphoram, nominibus rerum sensibilibus, quia nos solum per analogiam ad res sensibiles illum concipimus; et ideo etiam Deus sæpe apparuit sub forma sensibili. Verbum enim factum est homo; et Spiritus Sanctus apparuit sub specie columbæ, Joan. 1; et Pater sub specie senis, Dan. 7, ut exponit Augustinus, lib. 2 de Trinitat., cap. ult., et Genes. 18. Trinitas repræsentata est, quando Abraham tres vidit, et unum adoravit, ut eodem lib. 2 Aug. exponit, c. 11; ergo eadem ratione potest Deus metaphorice depingi, sicut depinguntur etiam quatuor Evangelistæ sub speciebus quatuor animalium, sub quibus in Scriptura sacra repræsentantur, vel sicut virtutes etiam solent metaphorice depingi. Denique in his imaginibus omnes utilitates in præcedenti sectione numeratæ inveniuntur. Nam imprimis sæpe sunt necessariæ ad historiam aliquam depingendam; deinde per se sumptæ excitant Dei memoriam, fidem et devotionem, et per se nullam malitiam, neque ullum incommodum conjunctum habent; ergo si non desit sufficiens populi instructio, et convenienti modo hujusmodi imagines depingantur, utilis et honestus erit illarum usus. Plura legi possunt apud Waldens., tom. 3 de Sacramentalib., cap. 150 et sequentibus; et Catherin., opusculo de Imaginib., et alios auctores supra citatos. Ex hoc tamen bene colligit Cajet., hoc loco, has imagines Dei non esse ad libitum depingendas, neque privata cujusque intentione aut inventione introducendas, sed juxta modum in Ecclesia receptum, vel ut in Scriptura, et in formis quibus Deus apparuit, fundamentum habeant. Et ideo etiam dicunt Sancti, ut D. Thomas hic ad primum notat, ante incarnationem, vel nullas, vel raras fuisse inter fideles imagines Dei, quia nondum Deus apparuerat in forma humana, neque in alia, in qua commode depingi posset.

6. *Objectio.* — Sed objicitur præceptum illud Exod. 20, Deuter. 4 et 5: *Non facies tibi sculptile, ibi enim saltem imagines Dei videntur prohiberi.* Confirmari potest ex Lactantio, lib. 2 de Origine erroris, c. 2, ubi inter alias hac ratione utitur: *Imaginum ratio idcirco ab hominibus inventa est, ut possit eorum memoria retineri, qui fuerunt vel morte subtracti, vel absentia separati: sed Deus non moritur, et ejus spiritus ac lumen ubique diffusum abesse*

nunquam potest. Semper ergo superflua est ejus imago. Ad principale argumentum Damascenus, dicta orat. 1, uno modo respondet, verum esse illo præcepto fuisse prohibitæ Hebræis omnes imagines Dei, ut omnino ab idololatriæ periculo abstraherentur, ut indicavit etiam Eleazarus, inter Hebræos peritissimus, apud Euseb., lib. 8 de Præparat. Evang., cap. 3. Juxta hanc vero responsionem, quam Catherinus supra sequitur, dicendum est, præceptum illud partim esse morale, quatenus idololatriam prohibet, quæ per se mala est; partim cæremoniale, quatenus simpliciter prohibet omnem usum imaginum Dei, non quia per se malus sit, sed quia ita expediebat illi populo propter illius ignorantiam, ne Deum esse corporeum existimaret, neve ad idololatriam, ad quam ex gentium consuetudine valde propensus erat, delaberetur, præsertim cum gratia minus perfecta, et minus explicata fide frueretur. Unde Deut. 4 dicitur: *Non vidistis aliquam similitudinem, ne forte decepti faciatis vobis sculptam similitudinem,* etc. Et 4 Reg. 18, Ezechias confregit serpentem æneum, quia superstitiose illo utebantur filii Israel. Quoad hanc ergo partem cæremonialem cessavit præceptum illud, et ita Damasc. illud cum præcepto circumcissionis comparat. Hæc vero responsio imprimis difficultatem patitur, quia juxta communem Sanctorum expositionem omnia præcepta Decalogi, præter tertium quoad determinationem de observatione sabbati, moralia sunt, non cæremonialia, ut docet Iren., lib. 4 contra Hæres., c. 31 et 32; et August., l. 19 contra Faust., c. 48, in specie loquens de primo præcepto; et ep. 109, c. 12, ex hoc principio concludit, omnia hæc præcepta præter illud de observatione sabbati sine ulla figurata locutione a nobis observari. Et idem docet Clem. Alexand., orat. exhortat. ad Gent., fol. 2, de eodem primo præcepto in particulari loquens. Deinde totum illud, quod his verbis continetur: *Non habebis Deos alienos coram me, non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem, quæ est in celo desuper et quæ in terra deorsum, neque eorum quæ sunt in aquis sub terra, non adorabis ea, neque coles,* totum, inquam, hoc est unum et idem præceptum; nam si essent plura præcepta Decalogi, non essent tantum decem, sed undecim vel duodecim, contra Scripturam, Exod. 31, Deut. 4. Et ita illud esse unum præceptum docet August. supra, et q. 71, in Exod.; et Clem. Alexandr., lib. 6

Strom., et est communis sententia; ergo toto illo præcepto idololatria et multitudo falsorum Deorum prohibetur.

7. *Responsio.* — Respondetur ergo non vetari imagines absolute, sed idola, et Deos manibus fabricatos, quibus, vero Deo relicto, latriæ cultus impenditur. Unde Levit. 26 clarius dicitur: *Non facietis vobis idolum et sculptile, nec titulos erigitis, neque insignem lapidem ponetis in terra vestra, ut adoretis eum; ego enim sum Deus vester.* Et ideo, c. 18, dixerat Deus: *Ego Dominus Deus vester, juxta consuetudinem terræ Ægypti in qua habitastis, non facietis,* etc. Et subdit c. 19: *Nolite converti ad idola, nec Deos conflatiles facietis vobis.* Et ad hunc modum, ubicunque explicatur hoc præceptum, significatur substantiam ejus esse, ut nullus præterquam verus Deus colatur et adoretur ut Deus. Ita exponit Augustinus supra, dicens hoc præceptum esse, idola non colere. Indicat Cyprian., l. 3 ad Quirinum, c. 59, et l. de Exhortat. ad martyr., c. 1; et Tertul., l. 2 contr. Marcionem, circa finem. Clarius Damasc., l. 4 de Fide, c. 13, et D. Thomas hic, ad 1, ubi ita exponit omnia illa verba: *Non habebis Deos alienos,* scilicet fide, id est, non credes illos esse Deos; et ideo non facies sculptilia, id est, talium Deorum imagines; et eodem sensu concluditur, *Neque adorabis ea,* quam particulam amplius in sequenti sectione explicabimus. Et inde clarius constabit differentia inter imaginem et idolum, et hujus præcepti perfecta intelligentia.

8. Ad Lactantium et rationem ejus respondetur imprimis, rationem nullius esse momenti, quia, licet Deus sit ubique præsens, non tamen videtur a nobis, et ideo utilis potest esse imago, quæ illius memoriam excitet. Ad verba autem, seu intentionem Lactantii respondetur, eum loqui contra idola gentium, sicut loquitur Scriptura, non contra imagines factas ad repræsentandum Deum verum, quæ gentibus, contra quas scribit, usui non fuerunt.

SECTIO III.

Utrum imagines Christi et Sanctorum sint adorandæ.

1. *Varie contra imaginum adorationem hæreses.* — Hæretici, qui omnino imaginum usum abstulerunt, multo magis earum adorationem illicitam esse censuerunt, non tamen omnes in eo fuerunt extremo errore;

nam quidam eorum, etiam tempore VII Synodi, admittebant imagines quoad aliquem usum, præsertim ob memoriam et recordationem prototyporum; non tamen permittebant aliquam venerationem vel adorationem eis tribui. Hoc colligitur ex multis locis VII Synodi, præsertim act. 6, circa finem; et ex Scripto Adriani ad Carolum Magnum, præsertim c. 50, ubi referuntur hæretici asserentes cum Gregorio, imagines non esse confringendas, contententes tamen esse sententiam ejusdem Gregorii, non esse adorandas. Et in hoc etiam errore versantur nonnulli Lutherani hoc tempore, qui etiam in templis illas admittunt, non tamen ad cultum, sed ad ornatum. Calvinistæ vero nolunt eas in templis admittere, ut omnem occasionem vel apparentiam cultus auferant.

2. *Durandi sententia.* — Hanc sententiam nullus Catholicorum simpliciter probavit, imo omnes absolute docent, imagines esse adorandas; quidam tamen ita explicant hanc adorationem, ut re ipsa vel parum discrepent a superiori sententia, vel nimium illi favere videantur. Durandus enim in 3, d. 9, q. 2, aperte docet imagines non adorari nisi improprie et abusive, quia ad præsentiam earum fit rememoratio exemplarium quæ tunc adorantur in præsentia imaginum, ac si præsentia realiter essent; et ideo dicuntur adorari imagines. Unde in num. 8 et 14 generalem regulam statuit, rem inanimatam, quæ non est subjectum susceptivum sanctitatis, non posse esse secundum se terminum adorationis. Unde concludit, cruci Christi non deberi aliquem honorem, nisi in quantum reducit in memoriam Christi; et tunc (ait) solum adoratur prædicto modo, scilicet, quod ad præsentiam ejus adoratur Christus, et circa illam exercentur illæ actiones vel signa honoris, quæ exhiberentur ipsi Christo, si præsens esset. Quia tamen sentit illas actiones non fieri ullo modo in honorem seu venerationem ipsius imaginis, ideo dicit, ob hanc causam improprie dici imagines adorari, et solum ita loqui quia ita loquuntur plures. Hujus sententiæ fuit etiam Holkot, in lib. Sapientiæ, lect. 157; et Picus Mirand., in Apol., q. 3, qui inter alios refert pro hac sententia Henricum, Quodl. 10, quæst. 6, ubi dicit imaginem non adorari nisi per accidens cum prototipo. Sed illa vox *per accidens*, æquivoca est, et ideo non satis constat de mente hujus auctoris. Magis favent huic opinioni Petrus Cluniac., ep. 2, cont. Petrob.,

c. de Vener. Crucis, sub finem; et Jonas Aurelian., l. de Cultu imag., a princ.; insinuat etiam Castro, verbo Adoratio, in illis verbis: *Denique adoratio ipsa, etsi coram cruce fit, mens tamen nostra ad id solum fertur, quod crux ipsa representat, Dei scilicet Filium, olim in cruce pendentem.* Citari etiam solet Alexand. Alens., 3 p., quæst. 30, art. ult.; sed illius alia est sententia, ut infra videbimus. Ab hac opinione Durandi quidam moderni verbis discrepare videntur, dum simpliciter docent, imagines vere et proprie adorari; tamen ita hoc declarant, ut re ipsa idem sentiant. Aiunt enim non aliter neque alia ratione adorari imagines, nisi quia coram eis et circa illas exhibentur externa signa honoris, ut genuflexio, deosculatio, inclinatio, vel apertio capitis, et similia; affectus tamen interior (aiunt), quatenus est affectus honorandi, seu exhibendi signum reverentiæ et servitutis, nullo modo dirigitur ad imaginem, sed solum ad prototypon, tanquam ad unicuique adorationis objectum. Ita plane sentit Dieghus Paiva, lib. 9 Orthodoxarum explicationum, per totum, præsertim § de Imaginibus, versic. At Kemnitiuss, ubi inter alia sic scribit: *Quamquam, si corporis motus, externaque venerationem spectes, imago ipsa colatur, animus certe, qui pietatis religionisque sedes est, nihil minus quam lignum, colores atque imaginem intuetur, sed totus in re quam refert, positus est.* Unde infert non pugnantiæ dicere, qui se imaginem adorare affirmaverit et negaverit; nam adoratur corpore, animum vero in solum exemplar defixum habet. Favent interdum Waldensis, Turrian., et alii sequente sectione citandi.

3. Fundamentum hujus opinionis est, quia res inanimata non est alio modo capax adorationis vel honoris, cum non percipiat signum honoris, quod circa illam exercetur, de quo fundamento plura in sect. 5. Quod si objicias, quia hæretici, qui admittebant imagines propter solam recordationem, non negarent in earum præsentia posse sola exemplaria adorari, eisque signa submissionis exhiberi, respondent, verum quidem esse eos non negasse exemplarium venerationem, negasse tamen signa honoris ullo modo esse imaginibus exhibenda, etiam sola actione exteriori, et in hoc tantum discrepare a Catholicis, et propterea fuisse damnatos. Quod si urgeas, hoc modo exhibere signa externa coram imaginibus sine intentione interna adorandi, non esse adorationem, respondent interdum hoc ne-

gando, quia, licet non sit summa adoratio, nonnulla adoratio est; interdum vero, Patres VII Synodi non multum curasse an illa exterior nota sit dicenda adoratio, sed in hoc solum intendisse, ut docerent, imagines cum aliquo signo exteriori reverentiæ et submissionis esse tractandas.

4. *Aliorum sententia.* — Altera tamen sententia est, imagines vere ac proprie adorari, saltem ut materiale objectum adorationis, vel totale, vel saltem partiale. Hæc est sententia D. Thomæ in hoc articulo, ut etiam auctores contrariæ sententiæ, præsertim Durandus et Picus Mirandulan. intellexerunt. Et Cajetanus hic, et alii discipuli et expositores D. Thomæ, qui opinionem Durandi ut parum fidei consentaneam rejiciunt, idem sentiunt. Atque hæc opinio mihi maxime probatur; et ideo partim in hac sectione, partim in duabus sequentibus, ex professo confirmanda est, declaranda et defendenda.

5. *Prima assertio.* — *Ex Scriptura colligitur.* — *Quid nomine scabelli pedum Dei in Scriptura significetur.* — Dico ergo primo, absolute et simpliciter fatendum esse, imagines esse adorandas, et honorifice tractandas. Hæc assertio est de fide, et præsertim fundatur in traditione et definitione Ecclesiæ, ut statim ostendemus. Habet tamen nonnullum in Scripturis fundamentum; nam ex Scriptura habemus, res creatas, etiam inanimes, si Deo sacratæ sint, adorandas esse; ergo eadem ratione adorandæ erunt imagines, quæ personas sanctas et sacras representant; nam hoc ipso res quædam sacræ sunt. Antecedens patet ex illo Psalm. 98: *Adorate scabellum pedum ejus, quoniam sanctum est,* ubi nomine scabelli, mystice quidem potest humanitas aut crux Christi intelligi, ut Augustinus et Hieronymus exponunt; proprie tamen et ad litteram intelligitur, vel propitiatorium, ut vult Jansenius, vel arca Testamenti, ut alii exponunt, et recte confirmat Bellar., lib. 1 de Sanct. beatitud., c. 13. Aliqui vero, ut Basilus et Vatablus, cum Chaldaica Paraphrasi, nomine scabelli totum templum intelligunt. Quæ expositio, quamvis per se sumpta nihil nobis obstaret, quia etiam templum est res creata et inanimis, tamen ab eis inventa est ut illa verba ad improprium sensum detorqueant, ut mox videbimus; et nullum habet in Scriptura fundamentum, tum quia nunquam vox scabelli in Scriptura reperitur ad significandum templum, reperitur autem ad significandam arcam fœderis, 1 Paralip. 28:

Cogitavi ut ædificarem domum, in qua requiesceret arca fœderis Domini et scabellum pedum Dei nostri; tum etiam quia metaphora scabelli templo non potest recte accommodari, optime vero quadrat in arcam; nam, ut dicitur 2 Reg. 9, Deus sedebat super eam in Cherubim, id est, in propitiatorio, quod super arcam erat in manibus Cherubim; et ideo arca erat quasi subsellium Dei. Alii vero per scabellum, terram intelligunt, quoniam hæc metaphora solet in Scriptura terra significari, Isaia 66, Matth. 5. Sed licet de aliis locis hoc verum sit, tamen præsentem non recte accommodatur, ut patet tum ex illa ratione subjuncta: *Quoniam sanctum est;* hoc enim de terra absolute dici non potuit; tum quia ex ipso contextu constat esse sermonem de peculiari ritu, et adoratione Judæorum. Unde in principio Psalmi dicitur Deus sedere super Cherubim, et additur: *Dominus in Sion magnus;* et infra: *Judicium et justitiam in Jacob tu fecisti;* et deinde subjungitur: *Exaltate Dominum Deum nostrum, et adorate scabellum pedum ejus,* et additur rursus exemplum Moysis et Aaron, qui fuerunt in Sacerdotibus ejus, et Deum colebant, et arcam etiam testamenti venerabantur; tum denique quia terra proprie non adoratur, si nulla alia specialis ratio sanctificationis ei adjungatur, ut inferius videbimus.

6. *Objectio.* — Sed dici tandem potest, ibi non præcipi adorari scabellum ipsum, sed Deum in scabello, seu in templo, ut Vatablus exposuit, Basilium imitatus; quomodo etiam potest Deus in terra adorari, juxta illud: *Nolite jurare per calum, quia thronus Dei est, neque per terram, quia scabellum est pedum ejus,* Matth. 5. Cui expositioni favent similia verba Psalm. 131: *Adorabimus in loco ubi steterunt pedes ejus;* cum tamen in hebræo etiam habeatur vox significans scabellum pedum ejus. Favet denique lectio Græca ejusdem Psalm. 98, quæ in ratione illa: *Quoniam sanctum est,* non habet genus neutrum, sed masculinum, *Quoniam sanctus est,* et ita etiam vertit Hieronymus juxta veritatem Hebraicam, Vatablus et alii. Non ergo scabellum, sed Deus adorari præcipitur, quoniam sanctus est. Et hanc expositionem amplectuntur hæretici hujus temporis, et approbare deberent Catholicis, qui dicunt proprie adorari Christum in imagine, non tamen imaginem ipsam, nisi abusive et improprie. Recte tamen expendit Bellarminus supra, interpretationem hanc non quadrare juxta proprietatem linguæ He-